B. C. D.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

POLYPO CORDIS,

QUAM

PRÆSIDE SOLO DEO,

EX DECRETO ET INDULTU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ IN ALMA ARGENTORATENSIUM UNIVERSITATE


PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CONSEQUENDI

Solenni ac placidæ Philiatrorum censuræ subjicit

BENEDICTUS FRANCISCUS GRATELOUP, *Argentinensis*.

Ad diem 24. Januarii MDCCXXXI.



ARGENTORATI,

Typis SIMONIS KÜRSNERI, Cancell. Typogr.

Duvernin. d. m.

DEO,
PATRIÆ,
FAUTORIBUS,
PARENTIBUS
NEC NON
AMICIS.



PRÆFATIO.

DE POLYPO CORDIS agendo rem jam ſæpe ſæpiusq́; actam me iterum agere ultro fateor. Sed cum plures res obſervatas obſervârim, hancce materiam defendendam eo lubentiùs aſſumpſi, quo certior experientiâ ſum, veterum ſententias, item & multorum aliorum, falſo niti fundamento, quia in causâ, diagnoſi aliisque erravere: quæ quamvis ipſemet determinare haud valeam, tamen referam, quæ mihi tanquam probabiliora apparuere: De curâ abſolutâ nullam mentionem faciam, quia eam ſuſcipere velle fere idem eſſet ac velle Æthiopem dealbare. Authores nec multos citare inſtituti mei fuit, quia nudam expoſitionem rerum frequentius per-

ſpectarum perpenſarumque facere volui, ſequentem ordinem ſervando; poſitâ definitione POLYPI oſtendam varias variorum de Polypis ſententias falſas fuiſſe, imo errores multos contigiſſe, & adhuc contingere in morborum cauſis detegendis. Ad differentias deinde deſcendam ipſorũ Polyporum, cauſam, & deniquecuram (ſi aliqua detur præter palliativam) quibus pro modulo pertractatis ad finem Theſeos meæ properabo, perſuaſus, me precibus effecturum, ut B. L. haſce lineolas, haſceque pagellas benigne ſuſcipiat.

POSITIO I.

POLYPUS *eſt maſſa utplurimum albicans, concreta ex ſanguinis humorumq; portione magis fibroſâ ac viſcidâ, in multis partibus vaſisq; reperiunda, ob motum caloremq; nativum languentem, prædominante quodam coagulo genita, cavitatum, in quibus hæret, utplurimum figuræ reſpondens.* Ex quâ definitione patet ipſa differentia Polyporum ab aliis in corpore noſtro concreſcere aptis, item à grumis, congeſtionibus variis &c. quæ omnia, quamvis aliquas

de

de ſupradictis proprietatibus habeant, tamen non omnes poſſident, unde eorum à Polypis diſtinctio allegata valet. In etymologiâ Polypi quærendâ multi jam inſudarunt, videtur deſumpta fuiſſe à verbis πολὺς, multus & πȣ̃ς, pes; ſed cum hâc ratione cancer aliæque plures res poſſent appellari Polypi, ideoque noſtro Polypo peculiares in definitione adjecimus circumſtantias.

POSITIO II.

Expoſita jam definitione ipſius Polypi in genere ſumpti, deſcendere ad Polypi ipſius Cordis conſiderationem inſtituti mei eſt. Unde POLYPUS CORDIS *eſt maſſa quædam utplurimum albicans, concreta ex ſanguinis portione magis fibroſâ ac viſcidâ in corde præcipue, ejusq; tum thalamis tum & vaſis, ob motum & calorem nativum languentem, prædominante quodam coagulo genita, cavitatum, in quibus hæret, figuræ aliqualiter reſpondens.* Quæ definitio, ut opinor, non male ſe habet, ſiquidem omni & ſoli convenit. Omni, quatenùs

omnibus excrefcentiis convenire poteft, quod fint concretum quid a fanguinis portione fibrosâ atque vifcidâ genitum; foli, quatenùs Polypo foli convenit, ut in corde præcipue atque ejus vafis, ob motum caloremque nativum languentem, prædominante quodam coagulo genitus fit. Quamvis ut verum fatear, difficultatis nodus Gordius non fit per recenfitas rationes fufficienter folutus. Sed quam parum fimus felices in difficultatibus abfolute & fundamentaliter folvendis in arte medicâ, trifti experientiâ fat fufficienterque comprobatum eft; unde & pro auxilio liceat etiam ad externam figuram confugere; fed effentiam per fuperiùs recenfitam definitionem meliùs explicari in confeffo eft.

POSITIO III.

Varias variorum de Polypis fententias falfas fuiffe, variosque in ipforum agnitione detegendâ errores contigiffe, omni parum attendenti patebit; imò & varias morborum caufas multos à veris non recte di-

ſtinxiſſe, ne dixero confudiſſe. Nam multos in naturâ ſeu eſſentiâ Polyporum detegendâ hallucinatos fuiſſe teſtantur, tum authoritates, tùm & experientia. D. DOCTOR ADAMUS CHRISTIANUS THEBESIUS *de Polypis cordis* agens, teſtatur de Batavis, ipſos affirmare Polypos non niſi in articulo mortis efformari; quia ut ajunt, illo tempore corrumpuntur humores, & liquoris vitalis ſiſtuntur motus, cui ſententiæ ne dicam adhærere, ſed ab eâ penitùs abſtrahere ſe velle aſſerit, quia materiam non mucilaginoſam tantum, ſed quaſi carneam repertam à ſe eſſe contendit, quæ per aörtam aliaque vaſa majora tùm minora, ramificationes ample extenderet (unde ab hâc ſententiâ diſcedendi ejus motivum) Quamvis ante Loweri tempora Polypi, ut recte autumandum eſt, fuerint cauſæ mortis, tamen rem penitùs abditam fuiſſe patet. Nam Batavorum de Polypis jam citata ſententia non concordat cum ratione, imò & à rectâ ratione veritateque quam maxime aliena

eſt (generaliter quis ſi loquatur) nam aliquando contingere illud poſſe ab hâc causâ non nego, ſed tamen ſemper id accidere falſum. Quia carneam quaſi ſubſtantiam quam obſervavit THEBESIUS, ne dixero tendineam (quod ipſemet vidi ſub initium hujus anni in cadavere quodam cultello anatomico aperto à Chariſſimo Patre meo in noſtrâ Univerſitate Practico ſat felici) & quod magis, quomodo lapideam, ut obſervatum eſt Ephemerid: Nat: Curios. decade 2^{dâ} anni 5^{ti} obſerv. LXXXIII. per tam parvam moram aſſequi potuiſſet.

POSITIO IV.

Aliqui, quamvis id verum etiam aliquo in ſenſu ſit, valetudinarium ſtatum longum ante mortem, morbos chronicos, quos ordinarie conſequitur mors, morboſque diuturnos alioſque hujus farinæ affectus, clariſſima ſigna ejus tùm exiſtentiæ vel diſpoſitionis eſſe; ſicut etiam & diuturni pulmonum affectus, qui ex pituitâ craſsâ, pure, ſpaſmo, vel alio affectu præternaturali laborantes ad hunc morbum tendunt. Quod ultimum

unà

unà cum præcedentibus causis ad veritatem aliquo in sensu facere fateor, sed in omni falsum. Nam contrarium experientia propria patet, siquidem si hoc esset, omnes prædictis affectibus laborantes, & polypo laborarent, quod quam falsum sit, nemo expertus non videt; ex quibus patet difficillimam esse Polypi naturæ causæque investigationem &c. quod tamen pro modulo prosequar, differentias, causas, signa, curamque exponendo. De qua ultima mentionem faciam vel ut præservativa aliquali vel saltem palliativa.

POSITIO V.

Differentias Polyporum à se invicem assignare non levioris esse difficultatis nemo negabit. Sed cum omnes sint tantum accidentales, non vero essentiales, assero Polypos differre ratione loci, duritiei atque substantiæ. Si enim locum consideremus, nullus vix non est locus, in quo concretiones tales efformari non possint; nam non tantum cor, de quo ex professo agere contendo, & quidem in utroque ventriculo, quod rarissime contingit, sed illud tamen à

ZACHARIA MANAGETTA EPHEMERID. GERM. Dec. I. Anno I. Obſerv. XXXI. de *Polypo Cordis in utroque ventriculo* obſervatum item in dextro tantum, & quidem frequentius, aliquando non, ſed tantum in ſiſtro, uti & ipſemet expertus ſum; verum etiam pulmones, nares & ei vicinas partes, ut ſæpiùs patuit, item Hepar, Lienem, Renes, Uterum aliaque loca infarciunt, quod recenſere inſtituti mei nullo modo eſt. Tandẽ aſſero, quod concretiones tales efformari poſſint, ubi ſanguinis circulatio aliqualiter impeditur. Ratione duritiei atque ſubſtantiæ compactioris, notandum quod ejus tum corpus, tum & ramificationes duritie & conſiſtentiâ differant. Nam conſiſtentia ejus non tantum ad medullæ ſimilem ſubſtantiam (quæ tamen ordinaria) ſed ad carneam, imo & tendineam accedit, uti expertum mihimetipſi fuit, in hydropico à me cultro anatomico ſubjecto. Imo & corio ſimilis, ne dixero cum Ephem. Nat. Curios. dec. 2ª. ann. 5ᵗⁱ obſerv: 83. lapideus extitit. Quæ concretiones ex hypotheſi quod

in tali gradu talem partem affecerint, cur non & aliam in tali gradu afficere possent. Ne dicam quid de pondere ad uncias vi. imo viij. item & de crassitie ad digitum minorem, quod tamen non assero, in omnibus in eodemque gradu reperiri.

POSITIO VI.

Differentias si & sumamus, possunt desumi à varietate subjectorum, nam non tantum in mortis articulo positi, non tantum adulti, cachectici, morbis chronicis diutius affecti, sed & unius anni infantes hocce malo correpti fuerunt; ut mihi testatus est Venerandus Parens meus. Item & ratione caussarum, quas si in genere consideremus, esse inextricabiles, lapidemque Lydium, quo veri Medici ab Empiricis & doctrina expertibus distinguuntur. Sed in Polyporum agnoscenda causa multi defecere; nam si cum Batavis dixerimus illos in articulo mortis tantum efformari, si pituitam ut solam caussam cum Veteribus considerare velimus, si corpus adiposum, si medullam calefactam, si sanguinem unà cum pinguedine coagulatum, omnia, fateor, in aliquo sensu vera esse

possunt; si itidem cachecticos, chronicosque affectus, quod verisimilius, solum in aliquo sensu vera sunt, cum & in aliis, qui in his non defecere, reperiantur. Unde nulla est regula certa, quæ non falso, si dicere fas fuerit, nitatur principio. Ergo Polyporum causa in corde (quamvis & eadem excepta ratione loci & cum grano salis sumpta ex definitione quam facillime deducatur) à sanguinis motu languente in corde, portioneque ejus magis fibrosa ob cordis languorem debito modo non conquassata (quamvis & causa etiam à resolutione nimia repeti posset) transeunte potissimum quærenda, unde figere sanguinem capacia per se & ex natura sua id præstare possunt. V. G. Plethora, Cacochymia, Tristitia, Aër frigidus, Scorbutus, Lues venerea &c. per accidens etiam humores in nimium motum concitantia, Lætitia, Aër calidus, Morbi acuti &c. Unde patet essentiam & causam atque differentias Polypi, sicut & aliorum morborum detegere non levis esse difficultatis.

POSI-

POSITIO VII.

Signorum ratione WEPFERUS jam ſuo tempore annotavit *Hiſt. Apoplect.* in qua refert pro ſignis, Polypis obſeſſos nunquam perfecta valetudine gaudere, actiones eorum torpidas eſſe, cordis palpitatione, reſpirandi difficultate tentari, quæeo magis augentur & exacerbantur, quo majora morbus incrementa capit. Inquietudines, pavores, pulſus anomalus, tremulus, inæqualis, aliquando etiam nullus in quavis etiam parte tactus, Cordis motus vix ſentitur, vomicæ pulmonum, ſæpius tuſſes aliaque ſunt timenda, ſi malum invaluerit, faciei livor, fæditas, imo aliquando Pleuritis, Cachexia, Hydropes, ſed quamvis ut certa aliqua ex his jam recenſitis ſignis habeantur, tamen in determinandâ ejus exiſtentiâ non parum ſudat Medicus. In Ephem. German. citatur D. D. CHRISTIANUS DE HELWICH de Polypis cordis multorum ſymptomatum ad aliud morbi genus relatorum cauſis, teſtatur de Polypis rem abditam fuiſſe, & illud præſertim ratione mul-

torum ſignorum diagnoſticorum progno-ſticorumque diſcernendorum in morbis in-ternis, nam Cephaleæ in muliere atrociſſi-mam & invictam cauſam PECHLINUS detegere potuiſſet, ſinus cerebri citatæ mu-lieris nigro, mucilaginoſo, tenacique Poly-po obſideri videns. Item & aliorum ſym-ptomatum, quæ ſi loqui fas fuerit, nunquam deducenda viderentur à Polypi natura, quod tamen ſecundum ipſum ab ejus natura ab-ſolute dependiſſe patuit poſt ipſam horum ſubjectorum cultro anatomico apertionem.

POSITIO VIII.

Ex ſuperius dictis patet nemini niſi vati poſſibilem eſſe accuratam Polypi diagnoſin, nam quis reſpirationem difficilem, ſicuti & obſervavit D. D. JOH. ZACHAR. FUR-STIUS *Ephem. Germ. Ann. IX. Obſerv.* 174. in hoc ſubjecto à Polypo ortum ha-buiſſe exiſtimaſſet; in qua rerum obſcuritate quoad ſigna diagnoſtica liceat in medium proferre ea, quæ a Dilectisſimo Parente meo obſervata fuere, qui certi aliquid de Poly-pi exiſtentiâ & inſtante morte horis v. l. vi.

ante-

antequam illa evenerat plus unâ vice pronunciavit, idque ex pulſu l. miuro l. ad notabile tempus intermittente, in aliquibus fere nullo absque extraordinaria alteratione alia, ſi inſignem virium debilitatem & magnas præcordiorum anguſtias excipias. Inſuper ea quæ notatu digniſſima ſunt Ephemeridibus Germanorum Dec. III. Ann. I. inſeri curavit ALEXANDER KNIPS-MACOPPE in epiſtola de *Aörtæ Polypo* ad CAROLUM PATINUM, qui eodem laborabat, a pulſu continuo inæquali & in ipſa exacerbatione obſcuro, deficiente, recurrenteque ac cordis jectigatione, l. levi palpitatione & dyspnœâ per vicem inordinatim recrudeſcentibus &c. ſigna Polypi præſentis certa deſumit, quæ tamen hac vice ulterius proſequi nolui Tyro. Quod jam attinet difficultatem, utrum Polypus ſit cauſa mortis, an vero ejus effectus, verbo reſpondeo, prius veritati convenientius videri, ſi in genere eum conſideremus, quamvis non negem aliquo in caſu poſſe fortasſis evenire Batavorum aſſertum, ſicuti hoc

dete-

detegi possset in suspensis, morteque violenta afflictis, l. morte arte l. alia causa inducta affectis, quod tamen dico rarius contingere. Causam tamen mortis illum potius esse affectio, quia ordinarie & vix non semper illam infert. Unde fundamentaliori atque pertinaciori ratione mortis causa quam effectus ventilatur.

POSITIO IX.

Ad curam deveniendum, in qua infelix ratione omnium vix non Polyporum est ipsa ars Medica. Nam Medicinam ipsam, si juxta GALENI opinionem habeatur, ut sit additio eorum, quæ deficiunt, sublatioque eorum, quæ excedunt, inutilem esse in hocce affectu concedo. Nam remedia, ut opinor, repetuntur 1. ex fonte chirurgico (si aliqui chirurgiam medica arte antiquiorem defendere voluerint) quæ in corde locum non habent directe, nisi ipsam venæ sectionem. 2. Ex fonte diætetico, quæ nihil nisi impedimentum accretioni ipsi afferre possunt. 3. Ex fonte Pharmaceutico, quæ etiam quamvis digestiva, incidentia, resolventia, attenuantia, sudorifera fuerint, nihil præstant, nisi aliqualiter imminuere (quod non certum) l. saltem glutinosum fortassis solvere & impedire, ne viscidi humores in Massa Sanguinea prædominentur; sed cum ipsemet una cum & aliis distinctivam curam, sicut & causam ignotam esse agnoscam, unde palliativa sola datur, qua malum in ulteriori progressu impediatur, sicque vita procrastinetur. Liceat ergo & denuo rogare ut B. L. qualicunque huic operæ, cui B. C. D. colophonem impono, benevolentiam concedere haud gravetur, quod spero eum facturum, persuasus dummodo fuerit, me exercitii tantum gratia hancce dissertatiunculam conscripsisse, ut ostenderem in hacce materia multos hallucinatos fuisse, hujusque curam absolutam nullam dari.

TANTUM.